



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Exemplum propositionis. Cap. XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

scriptionibus: verba sint lecta, suauia, grandia, sonora;  
 suppellectile & copia propriorum & translatorum dele-  
 detur. Qui verò flectere animos, eosq; cōmouere sibi pro-  
 posuit, vt de ppria salute cogitent; vt ipse appositè dicat,  
 necesse est, miris varijsq; modis auditores afficiat: mo-  
 nentis, hortantis, irascentis, accusantis, obiurgantis, con-  
 querentis personam induat; demōstret hominum vitia &  
 peccata: excuset, purgetq; eos, qui lasi videantur: laudet,  
 promittat, deprecetur, oret; scelera scelestis hominibus  
 exprobrat, exhorrescat, aliquid iubeat, increpet, insultet  
 impijs, lamentetur, minuetur, terreat, significet propemo-  
 dum esse desperandum: auditorū arbitrio pmittat omnia,  
 tanq̄ rebus deploratis, miretur, cōtestetur; speret tamen,  
 cōsuletur, gratuletur bonus, laetetur, eos cōfirmet, & imi-  
 tandos ceteris proponat, proferat vocem liberam, excla-  
 met, optet, personam induat, communicet cum auditore,  
 interroget quæ premant, & vrgeant, dissimulet, senten-  
 tiam suam reticeat. Singulas figuras siue formas senten-  
 tiarum describere, non esset difficile, sed longum, ac etiã  
 fortasse superuacaneū; cū vsu potiùs et exemplis, quàm  
 preceptis et descriptionibus, possint disci, singularū vnum,  
 duo, aut ad summum tria exempla proponemus, atque  
 ex his aliqua, his temporibus accommodata, vt faciliùs  
 earum natura percipiatur, & vt singula à clericis, cū  
 locus postulabit, ad vsum libentiùs reuocentur.

Exemplum propositionis.

Cap. XII.

**S**ANCTVS Ioannes Chrysostomus, quem, aureum  
 flumen Christianæ eloquentiæ, rectè appellauerimus,  
 cū

cū

cum doceret populū, orandum esse, ita proposuit; cuiusvis boni caput esse orationem: eamq; & salutem nobis afferre, & vitam aeternam, nemo ignorat; hac tamen de re, pro viribus dicere necessarium est, quo id consequamur, ut, et qui in orationibus, cultuq; Dei, viuere sunt soliti; studium vehemētius, & maiorem assiduitatem, ea in re adhibeant; qui segnes ignauiq; vixerunt, & animam suerunt ab orationis ope deserui, tum prateriti temporis detrimentum intelligant, tum in reliquum vitæ tempus, ne committant, ut salute priuentur.

Exemplum diuisionis:

Cap. XIII.

**S**ANCTVS Gregorius Nazianzenus, quem Demosthenem Christianum dixerimus, ostendens episcopalis muneris difficultatem, ita diuisione est vsus: difficile est, eiusmodi orationem inuenire, quæ omnes conciliare, & scientiæ lumine collustrare possit; huius rei, ea causa est, quod cum in tribus his rebus periculum versetur, mente, sermone, atque auditu; vix aliter fieri potest, quin si minus ad omnia, ad horum vnum impingamus: aut enim mens, superno splendore minimè perfusa est; aut sermo languet; aut deniq; auris, quia nequaquam purgata est, doctrinam excipere nequit; quorum si vnum acciderit, non minus, quam si omnia concurrant, veritas claudicat necesse est.

Exemplum distinctionis.

Cap. XIII.

**S**ANCTVS Ambrosius cum doceret, Christum sequendum, hanc distinctionem adhibuit: Si vulnus curare

care